

Videre licet in operibus nature hoc ipsum, quando quidem in conceptibus origineque mortalium propter conditiones varias femineæ sterilitatis, inutilisq; masculini seminis: plurimæ quoque esse possunt causæ, quibus fiat abortus, & præter illas est necessarium divinæ propositum voluntatis, ut in lucem prodeat infans, qui delitescerat in utero. Quanto magis illud idem conspici dabitur in artis effectibus. Ad summam nulla est ars nixa conjecturis, quæ semper stata sit & immobilis, nec ulla est tam certa, tam inconcussa, quæ magna ex parte mutationi materiæ non sit obnoxia, omnino vero subjecta divinæ voluntati. Quæ si tibi in auro conficiendo fuerit, ab omni mentis elatione cupidineque cave-to. Nunquam non formidans, *ad beneficium tibi sit id concessum, an ad pœnam?* & sæpe cogitans illud Augustini. Non minus verum elegans elogium: *Quod multa Deus negat propitius, quæ concedit iratus.* Quare primum Deo gratias immortales habeto, & quoad fieri potest referto: deinde omni modestia istud accipito cæleste munus, eoque & sancte, & pie utere, ad sanctissimæ Trinitatis, quæ unus est Deus, honorem & gloriam, atque ad propriam & aliorum hominum utilitatem.

F I N I S.



ROGE-